

separant, ut licet in prœdiis rusticis sint, tamen, si opus rusticum non faciant, urbani videntur. Dicendum autem est, quod urbani intelligendi sunt, quos paterfamilias inter urbanos adnumerare solitus sit : quod maxime ex libellis familie, item cibariorum deprehendi poterit. — § 1. *Venatores* et aucupes utrum in urbanis, an in rusticis continentur, potest dubitari : sed dicendum est, ubi paterfamilias moraretur, et hos alebat, ibi eos numerari. — § 2. *Muliones* de urbano ministerio sunt : nisi propter opus rustre testator eo; destinatos habebat. — § 3. Eum, qui natus est ex ancilla urbana, et missus in villam nutriendus, interim in neutris esse quidam putant : videamus, ne in urbanis esse intelligatur? quod magis placet. — § 4. *Servis lecticarius* legatis, si idem lecticarius sit et cocus : accedet¹⁰⁰ legato. — § 5. Si alii *vernæ*, alii *cursores* legati sunt; si quidam et vernæ et cursores sint, cursoribus cedent : semper enim species⁴ generi derogat. Si in specie aut in genere utrique sint : plerumque communicantur.

100. *JAVOLENUS*, lib. 2, ex posterioribus *Labeonis*.

Heres meus damnus esto Lucio Titio Stichum servum meum reddere : vel ita, *illam servum meum illi reddo*. *Cassellius* ait, deberi : neque id *Labeo* improbat : quia qui reddere² jubetur, simul et dare jubetur. — § 1. *Dux statuæ marmoreæ* cuidam nominatim, item omne *marmor* erat legatum : nullam statuam marmoream, præter duas, *Cassellius* putat deberi : *Oflivius*, *Trebatius* contra : *Labeo* *Cassellii* sententiam probat : quod verum puto ; quia duas statuas legando, potest videri non putasse in *marmore* se statuas legare. — § 2. *Uxori meæ vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum, argentum, quod ejus causa factum paratumque esset, omne do lego*. *Trebatius* hæc verba, *quod ejus causa factum paratumque est*, ad aurum et argentum duntaxat referri putat : *Proculus* ad omnia : quod et verum est. — § 3. *Cui Corinthiâ vasa legata essent, et brâtes* (id est, *bases seu fulcra*) quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi, *Trebatius* respondit : *Labeo* autem id non probat, si eas *brâtes* testator numero vasorum habuit : *Proculus* vero recte ait, si *ancæ* quidem sint, non autem *Corinthiâ*, non deberi. — § 4. *Cui testudinea* legata essent, ei lectos *testudineos* pedibus imargentos deberi, *Labeo*, *Trebatius*, responderunt : quod verum est.

101. *SCEVOLEA*, [lib. 16 *Digestorum*.]

Qui habebat in provincia, ex qua oriundus erat, propria prædia, et alia pignori sibi data ob debita, codicillis ita scripsit : *Τῆ γυναικί μου πατρίδι (βούλομαι) εἰς τὰ μέρη αὐτῆς δεῖναι, ἀφορῶσα αὐτῆ γυναικί πάντα, ὅσα ἐν Συρίᾳ κτήματα, ὅσα πᾶσιν τοῖς ἐνδούθι βρακίμασιν, δούλις, καρποῖς ἀπέδοται, κατασκευαῖς πάσαι;* id est, *suavissima patrie meae volo in partem suam dari, et ipsi separatim adjudico prædia omnia, quæcunque in Syria possideo, cum omnibus in eis existentibus, [et] pecoribus [et] servis, [et] fructibus [et] usu consumptilibus [et] apparatu omni*. *Quæsitum* est, an etiam prædia, quæ pignori habuit testator, patriæ suæ reliquisse videatur? Respondit, secundum ea, quæ proponerentur, non³ videri relicta : si modo in præprium patrimonium, quod fere cessante debitore fit, non sint redacta. — § 1. *Peto fundum meum, ulla uti⁴ est, alumnae meæ dari*. *Quæsitum* est, an fundo et reliqua colorum, et mancipia, si qua mortis tempore in eo fundo fuerint, debeantur? Respondit, reliqua quidem colorum non esse legata : cætera vero videri illis verbis, ita uti⁵ est, data.

102. *Idem*, [lib. 17 *Digestorum*.]

His verbis legavit : *Uxori meæ laeraria mea viatoria, et quicquid in his conditum erit, quæ membranulis mea manu scriptis continentur, nec ea sint exacta, cum moriar, licet in rationes meas translata sint, et cautiones ad actorem meum transtulerim* : hic *chirographa* debitorum, et pecuniam, cum esset profecturus in urbem, in *lateralibus* condidit : et *chirographis* exactis, quam pecunia erogata, reversus in patriam post biennium alia *chirographa* prædiorum, quæ postea comparaverat, et pecuniam in *lateralibus* condidit : *quæsitum* est, an ea tantum videatur nomina et legasse, quæ postea reversus in hisdem *lateralibus* condidit? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, non deberi, quæ mortis tempore in his *lateralibus* essent, et membranulis manu ejus scriptis continerentur. Idem *quæsitum*, an cum *emptions* prædiorum in hisdem *lateralibus* considerat, prædia quoque legato cedant? Respondit, non quidem manifeste apparere, quid de prædiis sensit : verum si ea mente *emptions* ibi haberet, ut his *legatarie* datis proprietatis prædiorum præstaretur, posset defendi, prædia quoque deberi. — § 1. *Paterfamilias* ita

100. *Immo vide* L. 65, § 2, supr. h. l. — 1. L. 41, infr. de penult. l. 80, infr. de reg. jur. — 2. L. 94, infr. de verb. sign. — 3. *Immo vide* L. 68, in pr. supr. h. l. — 4. L. 75, § 5, supr. eod. — 5. L. 27, § pen. infr. de instruct. vel instrum. legat. — 5. L. 5, § 1, infr. de legat. pres.

legavit, *Lances numero duas leves, quas de sigillaribus emi, dari volo* : is de sigillaribus leves quidem non emerat, lances autem emptas habebat : et dictaverat testamentum ante triduum quam moreretur. *Quæsitum* est, an hæ lances, quas emptas de sigillaribus habuit, legato cederet, cum nullas alias de sigillaribus emerit, nec legaverit? Respondit, secundum ea, quæ proponerentur, deberi eas, quas de sigillaribus emisset. — § 2. *Alumno præcepit militiam emi his verbis : Sempromio alumno meo illud et illud : et cum per ætatem licebit militiam illam cum introitu comparari volo : huic quoque omnia integra*. *Quæsitum* est, si *Sempromius* cum militiam sibi comparaverit, an pretium ejus, sed et id, quod pro introitu erogari solet, ex causa *fideicommissi* ab heredibus consequi possit? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, posse. — § 3. Idem testator *liberto militiam* his verbis legavit, *Seio liberto meo militiam do lego illam*, quam militiam et testator habuit : *quæsitum* est, an onera omnia et introitus militiæ ab herede sint danda? Respondit, danda.

105. *Idem*, [libro singulari *Questionum publicæ tractatarum*.]

Si pater *exheredato filio* substituit heredem extraneum, deinde ille extraneus hunc filium heredem instituit, et heres factus intra *pubertatem* decedat : puto, a substituto ei filio omnino legata prestari non debere : quia non *directo* sed per *successionem* ad filium hereditas patris pervenit. — § 1. Plus ego in fratre, qui, cum heres extitisset patri, exheredatum fratrem heredem insuitui, accepi, substitutum ejus legatum non debere : ac ne quidem si intestato fratre successerit, non principaliter, sed per *successionem* bona fratris ad eum pervenerunt. — § 2. Si filius ex *uncia* heres institutus sit, et [ab] eo legata data sint, habeat et substitutum, deinde *commissio* edicto per alium filium accepi partis dimidiæ bonorum possessionem : substitutus ejus utrum ex *uncia* legata præstat, an vero ex *semisse*? Et verus est, ex *semisse*³ : [sed ex *uncia*, omnibus : ex reliquis, liberis et parentibus.] — § 3. Contra quoque si ex *doctrante* institutus, *commissio* edicto, *semissem* acceperit bonorum possessionem, ex *semisse* tantum legata substitutus debet : quomodo enim augentur, ubi amplius est in bonorum possessione ; sic et ubi⁶ minus est, deducitur.

LIBER TRIGESIMUSTERTIUS.

TIT. I.

DE ANNUIS LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS.

1. *POMPONIUS*, lib. 5, ad *Sabinum*.

Cum in annos singulos quid legatum sit, neque adscriptum, quo loco detur : quocunque loco¹ petetur, dari debet : sicuti ex stipulatu, aut nomine facti petatur.

2. *Idem*, lib. 6, ad *Sabinum*.

In annos singulos heres damnatus *sinere me frui fundo*, si initio anni, quo colere deberem, moram fecerit : licet postea patiatur, quia cultura *sine* exclusus, tamen totius anni nomine mihi tenebitur : quemadmodum si *diurnas operas Stichum dare damnatus*, non a mane, sed a sexta diei hora det, totius diei nomine tenetur.

3. *ULPIANUS*, [lib. 24, ad *Sabinum*.]

Si legatum sit relictum *annua, bima, trima die, triginta forte : dena* per singulos debentur annos, licet non fuerit adjectum *æquis pensionibus*. — § 1. Proinde et si adjectum fuerit *pensionibus*, licet non sit incertum *æquis* ; item si scriptum fuerit *æquis*, licet non sit adjectum, *pensionibus* : dicendum erit, æquas fieri. — § 2. Sed si adjectum *pensionibus* inæquis, inæquales debentur. Quæ ergo debeantur, videamus. Et puto eas deberi (nisi specialiter testator electionem heredi dedit), qui vir bonus fuerit *arbitratus* : ut pro facultatibus defuncti et depositione patrimonii debeantur. — § 3. Sed et si fuerit adjectum *Viri boni arbitrati*, hoc sequemur, ut pro positione patrimonii sine vexatione et incommodo heredis fiat. — § 4. Quid si ita, *Pensionibus quas putaverit legatarius*? an totum petere possit, videamus. Et, puto totum non pet-

— 6. L. 35, supr. de vulg. et pupill. subst. l. 125, supr. de legat. 1. — Tit. 1. — 1. L. 38, vers. præterea supr. de judic. l. 47, § 1, supr. de legat. 1.

si adhuc *calendario*, id est, nominibus faciendis, destinata essent, eidem *fideicommisso* cedere debeant. *Quin* etiam illud quoque [putem] defendi posse : ut non modo a debitoribus exacta pecunia, sed quæcumque de causa *redacta*, eidem tamen rationi [fuerint] destinata, *fideicommisso* cedant.

65. *MARCIANUS*, [lib. 7 *Institutionum*.]

Legatis servis exceptis negotiatoribus, *Labeo* scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent negotiis exercendi causa : veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi essent : *cubicularios* autem, vel *obsonatores*, vel eos, qui *piscatoribus* præpositi sunt, non videri *negotiationis* appellatione contineri : et puto *veram* esse *Labeonis* sententiam. — § 1. Si ex officio quis ad artificium transierit, quidam recte putant, legatum extingu⁵⁷ : quia officium artificii mutatur. Non idem e contrario, cum *lecticarius* cocus postea factus est. — § 2. Si unus *servus* plura artificia sciât ; et alii cocii legati fuerint, alii *textores*, alii *lecticarii* : ei cedere *servum* dicendum est, cui legali sunt, in quo officio plerumque versabatur. — § 3. *Ornaticibus* legatis, *Celsus* scripsit, eas, quæ duos tantum menses apud magistrum fuerint, legato non cedere : alii et hæc cedere ; ne necesse sit, nullam cedere, cum omnes adhuc discerni possint ; et omne artificium incrementum recipit ; quod magis obtinere debet : quia *humanæ nature* congruum est. — § 4. *Pecoribus* legatis, *Cassius* scripsit *quadrpedes* contineri, quæ *gregatim* pascantur ; et *suos*⁵⁸ autem *pecorum* appellatione contineri : quia et hi *gregatim* pascantur ; sic denique et *Homerus* in *Odyssea* ait :

Αἴεις τὸν γε σύσσοι παρήμενον, ἀὶ δὲ νέμουσαι Παρὶ Κόρακος πέτρῃ, ἐπὶ τε κρήνη Ἀρεθούσῃ.

Id est,

Invenies hunc assidentem sibus, quæ pascantur Juxta Coracis saxum, juxtaque fontem Arethusam.

§ 5. *Jumentis*⁵⁹ legatis, boves non continentur : nec contra. — § 6. *Equis* [autem] legatis, et equæ continentur. — § 7. *Ovibus*⁶⁰ legatis, agni⁴⁴ non continentur : quamdiu autem agnorum loco sunt, ex usu cujusque loci sumendum est : nam in quibusdam locis ovium numero esse videntur, cum ad *tonsuram* venerint.

66. *PAULUS*, [lib. 5 *Sententiarum*.]

Avibus legatis, *anser*, *phasiani*, et *gallinæ*, et *aviaria* debentur : *phasianarii* autem et *pastores anserum* non continentur, nisi id testator expressit.

67. *MARCIANUS*, [lib. 7 *Institutionum*.]

Qui saltum æstivum legavit, et hoc amplius *etiam eas res [legaverit], quæ ibi esse solent*, non videtur de illis *pecoribus* sensit, quæ hieme in *hibernis*, aut æstate in æstivis esse solent : sed de illis [sensit], quæ *perpetuo*⁴² ibi sunt.

68. *ULPIANUS*, [lib. 4 *Responsorum*.]

[Juniano respondi], testatorem, adjiciendo *prædium Seianum omne*, eam quoque partem fundi *suprascripti* quasi ad se *pertinentem* videri⁴³ per *fideicommissum* reliquisse, quam ex causa *pignoris* nactus est, salvo scilicet jure debitoris. — § 1. Ex his verbis *curate agros attendere, et ita fiet, ut filius meus filios vestros vobis condonet* : *fideicommissum* peti non posse. — § 2. *Servos communes* a *Seia* ita relictos, *si me erant, cum moriar*, non deberi : si⁴⁴ modo hoc sensit testatrix, ut ita debeantur, si in solidum ejus fuissent. — § 3. *Prædiis cum his thetecis quæ in ea possessione sunt*, relictis, mancipia quoque prædiorum, cum illic testamenti facti tempore fuerant, cedent : sed et quæ postea accesserunt, si modo hoc testator manifeste expressit.

69. *MARCELLUS*, [lib. singul. *Responsorum*.]

Non aliter a *significatione* verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensit testatorem. — § 1. *Titius* codicillis suis ita cavit : *Publio Mævio omnes juvenes, quos in ministerio habeo, dari volo* : quæro, a qua ætate juvenes, et in quam intelligi debeant : *Marcellus* respondit, quos verbis quæ proponerentur, demonstrare voluerit testator, ad notionem⁴⁵ ejus, qui de ea re cogniturus esset, pertinere : *non enim in causa testamentorum ad definitionem utique descendendum est, cum plerumque abusive loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis semper utantur* : cæterum existimari posset juvenis is, qui *adolecentis* excessit ætatem, quoad incipiat inter *seniores* numerari.

37. L. 12, in fin. supr. quib. mod. usufr. adde l. 65, in pr. supr. de legat. 2. — 38. L. 2, § ult. supr. ad leg. Aquil. § 1, Inst. de leg. Aquil. — 39. L. 55, § 6, supr. de edil. edict. — 40. L. 51, § pen. et ult. infr. h. l. — 41. L. 60, in pr. supr. eod. — 42. L. 46, supr. eod. — 43. *Immo vide* L. 7, § 2 ; L. 103, in pr. infr. eod. — 44. L. 1, in pr. supr. de condit. instit. — 45. L. 7, C. de *fideicom.* — 46. § 22, infr. h. l. ; *immo vide* L. 55, § 6, infr. de auro. —

70. *ULPIANUS*, [lib. 22, ad *Sabinum*.]

Si cui *lana* legetur, id legatum videtur, quod tinctum non⁴⁶ est, sed *αὐτάρκῃ*, id est, *sponte natum*. — § 1. Sive autem facta esset, sive in *facta*, *lana* appellatione continentur. — § 2. *Quæsitum* est, utrum *lana* appellatione *ca sola* continentur, quæ *neta* non est : an et ea, quæ *neta* est, *utputa* *stamen* et *subtemen*? Et *Sabinus* et *netam* contineri putat : *cujus* sententia utimur. — § 3. *Lana* appellationem eatenus extendi placet, quoad ad telam pervenisset. — § 4. Et sciendum *succidam* quoque contineri, et *lotam*, si modo tincta non sit. — § 5. *Lana* appellatione *tomentum* non continentur. — § 6. Sed nec ea *lana*, ex qua quis *quasi vestimentum* fecerit *valetudinis* vel *deliciarum* gratia ; continentur. — § 7. Ne ea quidem, quæ *fomentationis* gratia parata sunt vel *medicinæ*, *lanarum* appellatione continentur. — § 8. Sed et *pelles lanatæ* continentur? et hoc *lana* cedere, manifestum est. — § 9. *Lana* legata, etiam *leporinam* lanam, et *anserinam*, et *caprinam* credo contineri, et de ligno, quam *ἐρωζύλον* (id est, *lanam ligneam*) appellant. — § 10. *Linum* autem, *lana* legata, utique non continentur. — § 11. *Lino* autem legato, *tam factum, quam infectum* continentur, quodque *netum, quodque* in *tela* est, quod est *non* *dumdetextum*. Ergo aliud in *lino*, quam in *lana* est. Et quidem si tinctum *linum* sit, credo, *lino* continentur. — § 12. *Versicoloribus* videndum est ; et constabat apud *veteres*, *lana*⁴⁷ appellatione *versicoloria* non contineri : sed ea omnia videri legata quæ tincta sunt, et *neta*, quæ *neque detexta*, *neque contexta* sunt. Proinde *quæritur*, an *purpura* appellatione *versicolorum* continentur? et ego *arbitror*, ea quæ tincta non sunt, *versicoloribus* non adnumerari : et ideo *neque alium, neque naturaliter nigrum* contineri, nec *alterius coloris naturalis*, *purpuram* autem et *coccum*, quoniam nihil *nativi coloris* sunt, contineri *arbitror* : nisi aliquid sensit testator. — § 13. *Purpure* autem appellatione *omnis generis purpuram* contineri puto : sed *coccum* non continentur : *fucinum*, et *ianthinum* continentur. *Purpuræ* appellatione etiam *subtemen* factum contineri, nemo dubitat : *lana tingendæ purpuræ* [causa] destinata non continentur.

71. *Idem*, [lib. 20, ad *Sabinum*.]

Cum *suæ* ancillæ sive *servi* in testamento scribuntur, hi designari videntur, quos *paterfamilias* suorum numero habuit.

72. *PAULUS*, [lib. 4, ad *Sabinum*.]

Eadem in omnibus rebus, quas *suas* quis legaverit, dicenda sunt.

73. *ULPIANUS*, [lib. 20, ad *Sabinum*.]

Suos autem *servos* vel *ancillas* eos accipimus, qui sunt pleno *jure testantis* : inter quos *fructuarii* non continentur. — § 1. Sed qui bona *fidei* testatori serviunt, suorum appellatione magis est ut continentur : si modo suorum appellatione, eos quos suorum numero habuit, voluit contineri. — § 2. Eos vero, quos quis pignori *hypothecæ* dedit, sine dubio inter *suos*⁴⁸ legasse videbitur debitor : *creditor*⁴⁹ nequaquam. — § 3. Proinde si quis *servos* habuit proprios, sed quorum *operas* locabat, vel *pistorias*, vel *histrionicas*, vel alias *similes* : an *servorum* appellatione etiam hos legasse videatur? Quod et *presumi* oportet : nisi *contraria* voluntas testatoris appareat. — § 4. Eum qui *venalitariam* [vitam] exercebat, puto *suorum* numero non facile contineri *velle* *ejusmodi* mancipia : nisi evidens *voluntas* fuit etiam de his *sentientis* ; nam quos quis ideo comparavit, ut illico *distraheret*, *mercis*⁵⁰ magis loco, quam *suorum* habuisse credendus est. — § 5. *Vicarios* autem *servorum suorum* numero non contineri, *Pomponius* libro quinto scribit.

74. *POMPONIUS*, [lib. 6, ad *Sabinum*.]

Si quis *suos* *servos* legavit, *communes*⁵¹ quoque continentur, et in quibus *ususfructus*⁵² alienus fuit.

75. *ULPIANUS*, [lib. 20, ad *Sabinum*.]

*Nummis*⁵³ indistincte legatis, hoc receptum est, ut *exiguiores*⁵⁴ legati videantur : si neque ex *consuetudine* *patrisfamilias*, neque ex *regionis*, unde fuit, neque ex *contextu* [testamentis] possit apparere.]

76. *Idem*, lib. 2, ad *Edictum*.

*Chartis*⁵⁵ legatis, nemo dicet scriptas, et libros jam factos, legato cedere. Hoc idem et in *tabulis* est.

77. *JAVOLENUS*, [lib. 1, ex *Plautio*.]

Cum in *substitutione* legata repetuntur, *libertates*⁵⁶ etiam continentur.

47. In pr. supr. h. l. — 48. Arg. L. 9, C. de pignorat. act. — 49. L. 9, in fin. infr. de suppl. legat. — 50. *Vide tamen* L. 207, infr. de verb. sign. — 51. *Far.* L. 259, in fin. infr. d. l. — 52. L. 25, in pr. infr. d. l. — 53. L. 50, in fin. supr. de legat. 1. — 54. Arg. L. 39, § 6, supr. d. l. — 55. L. 55, § 4, supr. h. l. — 56. L. 80, infr. de verb. sign.

78. PAULUS, [lib. 2, ad Vitefium].

Quasitum 57 est, Stichum servum ex eo fundo ante annum mortis testatoris abductum, et disciplinae traditum: postea in eum fundum non reversum: an deberetur? Responsum est, si studendi causa misisset, non quo de fundo eum aliorum transferret, debere. — § 1. Mævi filii, quod jam tibi maximam partem facultatum dederim, contentus esse debes fundo Semproniano cum suis inhabitantibus, id est, familia, et quæ ibi erunt. Quasitum est de nominibus debitorum, et nummis. Eadem epistolam talem emisit: Argentum omne, et suppellectilem, quodcumque habeo, tibi dono, et quicquid in prædio Semproniano habeo: an supellex, quæ in aliis prædiis vel domibus esset, ad Mævium pertineret: et an servi, quos ex eo fundo aliis legavit? Responsum est, nomina 58 et nummos non videri debere, nisi manifeste de his quoque legandis voluntas defunctæ adprobaretur: servos ex idem fundis aliis datos, deminuisse filii legatum: de argento et suppellectili, quæ alibi esset, eum, cujus notio est, æstimatum, ut id obtineat, quod testatori placuisse a legatario adprobabitur. — § 2. Prædia quidam reliquit, adjectis his verbis, uti a me possessa sunt, et quæcumque ibi erunt, cum moriar. Quasitum est de mancipiis 59, quæ in his prædiis morata fuerunt, vel operis rustici causa, vel alterius officii, cæterisque rebus quæ ibi fuerunt in diem mortis: an ad legatarium pertinerent? Respondit, ea omnia de quibus quaeretur, legata videri. — § 3. Peto ut fundum meum Caparianum Genevie alumne mee adscribatis ducentorum aureorum, ita uti 60 est: quaeritur an fundo et reliqua colonorum, et mancipia, si qua mortis tempore in eo fuerunt, debeantur? Respondit, reliqua quidem colonorum non legata, cætera vero videri (illis) verbis, ita uti est, data. — § 4. Illud fortasse quaesitum sit aliquis, cur argenti appellatione etiam 61 factum argentum comprehendatur: cum, si marmor legatum esset, nihil præter rudem materiam demonstratum videri posset? Cujus hæc ratio traditur: quippe ea, quæ talis naturæ sint, ut sæpius in sua redigi possint initia, ea materiae potentia victa, nunquam vires ejus effugiant. — § 5. Coccum 62 quod proprio nomine appellatur, quin versicoloribus cederet, nemo dubitavit. Quia minus porro coracinum aut insignum aut melinum suo nomine, quam coccum purpuræ designatur? — § 6. Cum vir ita legasset, quæ uxoris causa parata sunt, et do lego [lego] apud prætorem fideicommissarium petebam etiam res æstimatas, quarum pretium in dotem erant; nec obtinui; quasi testator non sensit potius de his rebus: atquin si in usum ejus datae sint, nihil interest, ab ipsa, an ab alio comparatae sunt; postea apud Aburnium Valentem inveni ita relatum: mulier res æstimatas in dotem dederat, ac deinde maritus ei legaverat his verbis, quæ ejus causa comparata emptaque essent: dixit, emptorum paratorumque appellatione non contineri ea, quæ in dotem data essent: nisi si maritus eas res, posteaquam ipsius factæ essent, in uxoris usum convertisset. — § 7. Rebus quæ in fundo sunt legatis, accedunt etiam ea, quæ tunc non sunt, si esse solent: nec, quæ casu 63 ibi fuerunt, legata existimantur.

79. CELSUS, [lib. 9 Digestorum].

Si chorus aut familia legetur, perinde est, quasi singuli homines legati sint. — § 1. His verbis, quæ ibi mobilia mea erunt, do lego, nummos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos Proculus ait: at eos, quos presidii causa repositos habet (ut quidam bellis civilibus facitassent) eos legatos contineri: et audisse se rusticos senes ita dicentes pecuniam sine peculio fragilem esse; peculium appellantes, quod presidii causa seponeretur. — § 2. Area legata, si inaedificata medio tempore fuerat, ac rursus area sit, quamquam tunc peti non poterat, nunc 65 tamen debetur. — § 3. Servus quoque legatus, si interim manumittatur, et postea servus factus sit, postea peti potest 66.

80. IDEM, [lib. 35 Digestorum].

Conjunctim heredes institui, aut conjunctim legari, hoc est: totam hereditatem et tota legata singulis data esse, partes autem concursu fieri.

81. MODESTINUS, lib. 9 Differentiarum.

Servis 67 legatis, etiam ancillas quidam debere recte putant: quasi commune nomen utrumque sexum contineat. Ancillis vero legatis, masculos 68 non debere nemo dubitat. Sed pueris legatis, etiam puellæ 69 debentur. Id non æque, in puellis pueros contineri dicendum est. — § 1. Mulieribus vero legatis, etiam 70 virginibus debentur: sicuti viris

57. L. 20, § 6, infr. de instrum. vel instrum. legat. — 58. L. 86, in pr. supr. de legat. 2. — 59. L. 32, § 2, in fin. supr. d. t. — 60. L. 101, in fin. infr. h. t.: L. 27, § pen. infr. de instrum. vel instrum. legat. — 61. L. 19, in pr. infr. de auro. — 62. L. 70, § 12, in fin. supr. h. t. — 63. L. 86, in fin. supr. cod. — 64. Immensis L. 98, § ult. infr. de solution. — 65. L. 36, in pr. supr. de usufr. — 66. Obi. L. 27, in fin. infr. de ad m. vel transfr. legat. — 67. L. 62, in fin. supr. h. t. — 68. L. 45, in pr. supr. de legat. 2. — 69. Arg. L. 163, in fin. infr. de verb. sign. — 70. Arg. L. 25, § 9, infr. de auro; L. 13, in pr. infr. de verb. sign. — 71. L. 9, in pr. infr. d. t. — 72. L. 65, in fin. supr. h. t. — 73. L. 84, § 2, supr. de legat. 1. — 74. L.

legatis, etiam pueros debere respondetur. — § 2. Pecudibus autem legatis, et boves, et cætera jumenta continentur. — § 3. Armento autem legato, etiam boves 71 contineri convenit, non etiam greges ovium et caprarum. — § 4. Ovibus 72 legatis, neque agnos, neque arietes contineri quidam recte existimant. — § 5. Ovium vero grege legato, et arietes et agnos debere nemo dubitat.

82. IDEM, [lib. 9 Regularum].

Servus, qui in fundo morari solitus erat, si fugerit 73, licet post mortem testatoris apprehendatur, fundo legato, ut instructus est, etiam ipse [legato] cedit.

83. IDEM, [lib. 6 Responsorum].

Quod his verbis relictum est, quicquid ex hereditate bonive meis ad te pervenerit, cum morieris, restituas: fructus 74, quos heres vivus percipit, item quæ fructuum vice sunt, non 75 venire placuisse: nec enim quicquam proponi, ex quo de his quoque restituendis testatricem rogasse probari potest. — § 1. Idem testator, qui liberis fideicommissum relinquebat, substitutione inter eos facta expressit, ut post mortem extremi ad posterum eorum pertineret: quero, cum nemo alius sit, nisi liberus ejus, qui extremo mortuus est, an is ad fideicommissum admitti debeat? Respondit, Posterorum appellatione liberos tantummodo, non etiam libertos eorum, quibus fideicommissum relictum est, fideicommissum contineri, nequaquam incertum est.

84. JAVOLENUS, lib. 2, ex Cassio.

Cui, quæ Romæ 76 essent, legata sunt, et etiam quæ custodiae causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur.

85. POMPONIUS, lib. 2, ad Quintum Mucium.

Nuper constitutum est a principe, ut et non adjecto hoc, meum, si quis corpus alicui leget, et ita sentiat, ut ita demum præstetur, si suum sit: ita valere legatum, ut appareat, magis sententiam legantis, non hoc verbum, meum, respiciendum esse; et ideo elegans est illa distinctio, ut quotiens certum corpus legatur, ad præsens tempus adjectum hoc verbum, meum, non faciat conditionem: si vero incertum corpus legatur (veluti ita, vinea mea, vestem meam) videatur pro conditione hoc verbum esse, mea, ut ea demum que illius sunt, videantur legata: quod non puto fortiter posse defendi, sed potius de hic vestem, vel vinum, quod suorum 77 numero habuerit, hoc legatum esse: sic enim responsum est, etiam quod coacerit 78, vinum legato cedere, si id vini numero testator habuisset. Plane in mortis tempore collatum hunc sermonem, vestem quæ mea erit, sine dubio pro conditione accipiendum puto: sed et Stichum 79, qui meus erit, puto pro conditione accipiendum: nec interesse, utrum ita, qui meus erit, an ita, si meus erit: utrobique conditionem eam esse. Labeo tamen scribit, etiam in futurum tempus collatum hunc sermonem, qui meus erit, pro demonstratione accipiendum. Sed alio jure utimur.

86. PROCULUS, [lib. 5 Epistolarum].

Si ita legatum est, domum, quæque mea ibi erunt cum moriar: nummos ad diem exactos a debitoribus, ut aliis nominibus collocarentur, non puto legatis esse. Et Labeonis distinctionem valde probo: qui scripsit, nec quod casu abesse, minus esse legatum; nec quod casu 80 ibi sit, magis esse legatum.

87. PAULUS, lib. 4, ad legem Juliam et Papianam.

Et fideicommissum, et mortis causa donatio appellatione legati continentur 81.

88. IDEM, lib. 5, ad legem Juliam et Papianam.

Lana legata, vestem, quæ ex ea facta sit, debere 82 non placet. — § 1. Sed et materia 83 legata, navis, armariumve ex ea factum, non vindicetur. — § 2. Nave autem legata dissoluta 84, neque materia, neque navis debetur. — § 3. Massa autem legata, scyphi 85 ex ea facti, exigi possunt 86.

89. IDEM, lib. 6, ad legem Juliam et Papianam.

Res 87 conjuncti videntur, non etiam verbis, cum duobus separatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re, Titio et Seio fundum æquis partibus do, lego: quotiam semper partes habent legatarii. Præfertur igitur omnimodo cæteris, qui et re et verbis conjunctus est. Quod

57, in pr. infr. ad SC. Trebell. — 75. Immo vide L. 5, § 2, supr. de usufr. — L. 32, infr. ad SC. Trebell. — 76. L. 4, § 4, infr. de penu legat. — 77. L. 73, supr. h. t. — 78. L. 9, § 2, infr. de tritico. — 79. L. 2, supr. de condit. iust. — L. 6, supr. de legat. 1. — 80. L. 78, in fin. supr. h. t.; adde L. 44, supr. cod. — 81. L. 1, Inst. de donat. — 82. Obi. L. 44, § 2, supr. de legat. 1. — 83. L. 37, supr. h. t. — 84. L. 10, § 7, supr. quib. mod. usufr. — L. 85, § 2, infr. de verb. oblig.; L. 98, § ult. infra med. infr. de solution. — 85. L. 44, § 2, supr. de leg. 1. — 86. Immo vide L. 10, § 4, supr. quib. mod. usufr. — 87. L. 141, infr. de verb. sign.

berat'ia fratris tui inferas matri ejus annua tot usque ad annos quatuordecim: eo amplius tributa fratris tui pro censu ejus dependas, donec bona restituas: et ad te reditus prædiorum illorum pertineant, quoad perveniat frater tuus ad annos quatuordecim. Quasitum est, defuncto majore fratre, herede alio relicto: utrum omnis conditio percipiendi reditus fundorum anniversaria præstetur; et alia, quæ præstaturus esset si viveret Seius, ad heredem ejus transierint 80: an vero id omne profuturum ad pupillum et tutores transferri debeat? Respondit, Secundum ea quæ proponerentur, intelligitur testator quasi cum tutore locutus, ut tempore, quo tutela restituenda est, hæc, quæ pro annuis præstari jussisset, percipiendisque fructibus, finiatur: sed cum major frater morte præventus est, omnia, quæ relicta sunt, ad pupillum et tutores ejus constestium post mortem fratris transisse.

92. ALFENUS VARUS, [lib. 2 Digestorum a Paulo epitomatum.]

Filiæ meæ, quotiescumque vidua erit, in annos singulos centum heres meus dato. Quaeritur, si filia minus annui temporis vidua fuisset, nunquid minus ei centum deberentur? Respondit, sibi videri 84, tametsi totus annus nondum fuisset, tamen debere.

93. MARCIANUS, [lib. 6 Institutionum.]

Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui: divi Severus et Antoninus rescriperunt, nec esse verisimile, testatorem de uno anno sensisse; sed de perpetuo legato.

94. IDEM, [lib. 8 Institutionum.]

Cum erat certa pecunia, id est, centum, republicæ Sardanorum relicta per quadriennium certaminis Chrysantiani: divi Severus et Antoninus rescriperunt, videri perpetuum pensionem reliquisse testatorem per quadriennium; non in primum quadriennium.

95. VALENS, [lib. 2 Fideicommissorum.]

Filiofamilias, quoad in potestate patris sit, in annos singulos dena dari possunt.

TIT. II.

DE USU, ET USUFRUCTU, [ET REDITU], ET HABITATIONE, ET OPERIS PER LEGATUM VEL FIDEICOMMISSUM DATIS.

1. PAULUS, lib. 3, ad Sabinum.

Nec usus, nec usufructus itineris, actus, viæ, aqueductus legari potest, quia servitus servitus esse non potest; nec erit utile ex senatusconsulto 2, quæ cavetur, ut omnium, quæ in bonis sint, usufructus legari possit, quia id neque 3 ex bonis, neque extra bona sit: sed incerti actio erit cum herede, ut legatario quamdiu vixerit, eundi, agendi, duocendi facultatem præstet; aut ea servitus constituatur sub hac cautione, ut, si decesserit legatarius, vel capite deminutus ex magna causa fuerit, restituatur.

2. PAPIANUS, [lib. 17 Quaestionum].

Hominis operæ legatæ, capitis deminutione vel non utendo non amittuntur 4. Et quamvis ex operis mercedem 5 legatarius percipere potest, etiam operæ ejus ipse locare poterit. Quas si prohibeat heres capi, tenetur. Idem est, et si servus se locaverit. Et quia legatarius fractuarius non est, ad heredem suum operarum legatum transmittit: sed servo usucapto legatum perit.

3. PAULUS, [lib. 3, ad Sabinum].

Hominis quoque liberi 6 operæ legari possunt: sicut locari, et in stipulationem deduci.

4. ULPIANUS, [lib. 18, ad Sabinum].

Si pure proprietatis legata erit, ea ad legatarium perveniet, quamvis fractuarius heres sit institutus.

5. PAULUS, [lib. 3, ad Sabinum].

Usufructum, cum moriar 7, inutiliter stipulor: idem est in legato: quia et constitutus usufructus morte interdicitur solet.

6. POMPONIUS, [lib. 48, ad Sabinum].

Si usufructus mihi in biennium continuus a morte testatoris lega-

20. L. 22, infr. de usu et usufr. legat. — 31. L. 5, supr. h. t. — Tr. II. — 4. L. 35, in fin. supr. de servit. præd. rusticæ. — 2. L. 1, supr. de usufr. ear. rer. — 3. Immo vide L. 32, infr. de acquir. rer. domin. junct. 2, Inst. de action. — 4. L. 2, supr. de oper. servor. — 5. L. 3, supr. d. t. — 6. L. 26, § 12, supr. de condit. indeb.; L. 9, § 1, infr. de oper. libert. — 7. L. 51, supr. de usufr. — 8. L. 35, pr.; L. 37, supr. d. 1. — 9. L. 47, in fin. supr. de legat. 1. — 10. L. 26, in fin. supr. de usufr.; obi. L. 68, in fin. pr. infr.

tus sit, et per heredem steterit 8, quo minus eum mihi daret: præterito biennio, nihilominus tenetur: quemadmodum teneretur, si res legata in rerum natura esse desisset, quam quis deberet, moratusque 9 esset in ea danda: ut peti quidem jam usufructus, qui legatus sit, non possit, quia alius futurus sit, quam qui legatus fuerit, sed æstimatio ejus bima dumtaxat faciendâ sit.

7. ULPIANUS, [lib. 26, ad Edictum].

Operæ testamento relictae quando cedere debeant? utrum ex quo peti eas legatarius, an ex quo adita hereditas est? Et cui perant dies, quibus æger servus fuit? Et puto; ex die petitionis eas cedere: quare si post petitas æger esse servus cœperit, legatario peribunt.

8. GAUDES, [lib. 3, de legatis ad Edictum prætoris].

Si usufructus municipibus legatus erit, quaeritur, quousque in eo usufructu tuendi sint: nam si quis eos perpetuo tuetur, nulla utilitas erit nudæ proprietatis, semper abscedente usufructu: unde centum 10 annos observandos esse constat; qui finis vite longissimus esset.

9. ULPIANUS, [lib. 8 Disputationum].

Si ab eo, cui legatus esset usufructus, fideicommissum fuerit relictum: licet usufructus ad legatarium non pervenerit, heres 11 tamen, penes quem usufructus remanet, fideicommissum præstat; quod et in militis testamento erit dicendum, si legatarius, a quo fideicommissum relictum est, repudiaverit legatum: vel vivo testatore decesserit.

10. JULIANUS, [lib. 78 Digestorum].

Si Titio fundus, et ejusdem fundi usufructus legatus fuerit: erit 12 in potestate ejus, fundum 13 an usufructum vindicare malit: et, si fundum elegerit, necessario plenam proprietatem habebit, licet usufructum a se repulerit; si vero usufructum habere maluerit, et proprietatem fundi repulerit, solum usufructum habebit.

11. IDEM, [lib. 1, ex Minicio].

Habitationis legatum in singulos annos ab 14 initio anni debere, constat.

12. PAULUS [VARUS, lib. 2 Digestorum a Paulo epitomatum].

Heres in fundo, cujus usufructus legatus est, villam possit: eam invito fructuario demolire non potest: nihil magis, quam si quam arborem possidisset, ex fundo [is] evellere vellet: sed si, antequam usufructuarius prohibuerit, demolierit, impune facturum.

13. PAULUS, [lib. 15, ad Plautium].

Cum usufructus alternis annis legatur: non unum, sed plura 15 legata sunt; aliud est in servitute aquæ, et viæ: viæ enim servitus una est: quia natura sui habet intermissionem.

14. CELSUS, [lib. 18 Digestorum].

Duos separatim uti frui sinere damnatus heres, communiter uti frui passus est. Quaeritur, an utrique ex testamento teneretur? Dixi teneri, si 16 testator utrumque solidum habere voluit: nam ipsius onus est, ut solidum singulis legatum præstaret: qua parte igitur alterum uti fruieret heres, ea parte eum non sinere alterum uti frui; ideoque per æstimationem unicuique, quod deest, replere debet.

15. MARCELLENUS, [lib. 15 Digestorum].

Dannus esto heres Titium sinere in illa domo habitare, quoad vivet: unum videtur esse legatum. — § 1. Qui duos fundos habebat, unum legavit, et alterius fundi usufructum alii legavit. Quero, si fractuarius ad fundum aliunde viam non habeat, quam per illum fundum qui legatus est: an fructuario servitus debeat? Respondit, quemadmodum si in hereditate esset fundus, per quem fructuario potest præstari viam, secundum voluntatem defuncti videtur id exigere ab herede 17: ita et in hac specie non aliter concedendum esse legatario fundum vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario præstet: ut hæc forma in agris servetur, quæ vivo testatore obtinuerit, sive donec usufructus permanet, sive dum ad suam proprietatem redierit.

16. MODESTINUS, [lib. 9 Responsorum].

Legatum civitati relictum est, ut ex redditibus quotannis in ea civitate memoriae conservandæ defuncti gratia spectaculum celebretur, quod illic celebrari non licet. Quero, quid de legato existimes? Modestinus respondit: cum testator spectaculum edi voluerit in civitate, sed tale, quod ibi celebrari non licet, iniquum esse, hanc quantitatem, quam in

ad leg. Falcid. — 11. L. 29, in fin. pr. supr. de legat. 1; L. 19, infr. de dimidm. vel transfr. legat. 1. un. 2, C. de caduc. toll. immo vide d. l. un. 2, 5. — 12. L. 5, pr. supr. de legat. 2. — 13. L. 23, supr. d. t. — 14. L. 12, § 1, infr. quando dies legat. — 15. L. 28, supr. quib. mod. usufr. — 16. L. un. 2, 11, vers. hoc autem ita. C. de caduc. toll. — 17. L. 44, in fin. supr. de legat. 1.